

Q. D. B. V.

CLAUDII FLEURY

180.

Scriptoris Galli

Judicium de selectu & methodo studiorum,

SUCCINCTIS ORATIUNCULIS

comprehensum,

SCHOLARCHÆ SUO

ITERUM

CONSULI

ad d. 14. Septembr. MDCLXXXVIII.

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI,

Post Sacra matutina,

Sub moderamine

CHRISTIANI WEISII, RECT.

offerre cupiunt

gratulabundi Juvenes

Gottlob Gerber / Wiesenenthal-Lufatus.

Gottfried Lange / Laubâ-Lufatus.

Christian Philipp Just / Zittâ-Lufatus.

Gottfried Liebig / Gryphebergâ-Silesius.

Leonhard Georg von Stöterogg / Luneburg.

Hieronymus Hartwig von Stöterogg / Luneburg.

Quibus accedent


Prologus Conrad von Burgsdorff / March.


Epilogus Johann Christian Schürer / Zitt. Luf.



ZITTAVIÆ,

Typis Michaelis Hartmanni.




 Um in Actis Eruditorum Lipsiensibus nupero Junio enarratus esset *Claudii Fleury Presbyteri & Abbatis, olim Præceptoris Principum de Conty in Gallia Tractatus de selectu & methodo studiorum*, ejus generis occurrere videbantur judicia, quæ libelli propius inspiciendi desiderium facile provocarent. Ac ubi facta esset ipsius copia, prout recusatus fuit Bruxellis anno 1687, inter singularem legendi voluptatem id erat quàm gratissimum, de studiis ea plerumq; notari, quæ nos vel in libellis passim editis, vel in privatis quoq; discursibus ad auditores nostros sæpe monuissemus. Unde cum NOVI CONSULIS, nuper ad Regimen iterum vocati, veneratio gratulabundam Gymnasii solennitatem, ex more jamdudum recepto, postularet, ex eodem scriptore depromi argumenta posse, tum exercitiis oratoriis, tum cæteris bene precandi officiis, quàm commodissima, libenter credebamus. Sive enim CONSULI publicis incrementis dedito, gratissimum esse solet, quicquid ad posteritatis curam, h. e. ad publicæ salutis certitudinem dirigitur; sive SCHOLARCHAM id præ cæteris afficit, quod ad solidum, curiosum & accuratum informandi modum pertinet; seu deniq; qui ERUDITIONEM abstrusiorum in pretio habet ipse, facere non potest, quin juvenes ad similem proficiendi cursum gratifatos, benigno semper favore complectatur: nullibi certè feliciorum loqvendi & vovendi occasionem affulgere judicabamus, quàm si mentem nobilissimi Scriptoris è nostris auditoribus aliqui, succinctis oratiunculis exponerent. Et vero, si benignis Lectoribus aliquem ejus rei prægustum debemus, cum de studiis agere videatur *non principalibus*, quæ Theologos, Jctos, Medicos ad ultimam perfectionem deducunt, *sed preparatoriis* quæ, sublimioribus recipiendis, ingenia disponunt: in tres classes omnia digerit, quæ ad præparandum hominem nostro quidem seculo nonnihil conferre queunt. Quantum enim assequi mentem licet: aliqua pertinent ad præparationem ingenii, ne cui justus desit rationis usus: aliqua verò ad vitam civilem, ne quis inter homines suæ reip. vel ineptus vel inutilis habeatur: aliqua tandem ad ipsam eruditionem, si quis inter cives eminere, viriq; docti characterem tueri constituerit. Et fanè quin tribus ejusmodi gradibus nostra sedulitas absolvi queat, dubium non est: sive quis considerare nos velit, *ut Homines, ut Cives, ut Eruditos*; sive quis ad hominis perfectionem id requirit, *ut sibi constet in animo, ut bonus aliquando sit Paterfamilias privatim, ut bonus sit in qualicunq; sua functione publicè.*

Rationis cultum tribus debere vult partibus. DOCTRINÆ MORALI, CIVILITATI, LOGICÆ. *Doctrina* quidem *moralis* quæ insita hominibus principia h. e. genuinum rationis thesaurum exponit; *Civilitati*, quæ consistit in affectuū moderatione, ne cui displiceamus, adeoq; post agnitionem honestatis, ipsi etiam socialitati reddamur apti: *Logica*, non scholasticæ, quæ nudis inhæreat terminis, sed solidiori, quæ verum à falso discernere, confusa disponere, obscura declarare doceat. Ac in hoc laudari meretur quàm maximè, quod moralia satis imperfecta judicat, nisi rationis dictamen principiis quoq; theologice, tanquam infallibilibus & certissimis sublevetur. Quanto enim cum opprobrio christiani nominis è putidis gentilium lacunis haurire multi contentur, quod è purioribus divinæ gratiæ fontibus excipi posset, deplorare fortassis non est hujus loci.

Ad VITAM CIVILEM cuivis hominī necessariam, quatuor exigit, primo quidem intuitu maximè difficilia, *Grammaticam*, *Arithmeticam*, *Oeconomicam*, & *Legum notitiam*. Sed Grammaticam qui nominat, non nisi Patriæ lingvæ culturam vult intelligi: quantum enim suis vel sibi prodest, qui scribere & loqui perspicue non possit? Sic Arithmetices expers, saltim ejus, quam in vulgaribus civium rationibus utilem deprehendimus, quando negotiis immisceatur, quin pudorem experiatur vel damnum? Omnes autem esse debemus Oeconomi, sive redituum & expensarum id ratio postulet, sive in vendendo, emendo, permutando custodiendo, decipi miserum & ignominiosum est. Imo ne obscurum sit, quo spectet Legum notitia, quam ultimo requirit loco, aliud est qualitercunq; nosse Leges, aliud vocari Jctum. Et certè qui Legum & consuetudinum nullam habet notitiam, quomodo Legibus satisfacere semper queat, non apparet. Cum præsertim plurimas civium lites inde progredi videamus, quod vel contrarias sibi leges, de testamentis, de hæreditatibus, de servitutibus, de civilibus obligationibus &c. fingunt, vel minus accuratam legum interpretationem fovent: faciliorem sectaturi concordiam, si quid inter suos olim valuerit, & adhuc valeat, jactis ad negotia passim obvia oculis observarent.

Tandem præparatio ad ipsam Eruditionem continet, *Latinam Lingvæ*, doctorum vernaculam, *Historiam*, *Rhetoricam*, quin & ex parte *Geometriam* cum cæteris studiis curiositate suâ probatis. In Latinâ Lingvâ mediocritatem observari debere, ne defectus ad barbarismum, vel nimium studium ad scholasticas ineptias inclinet, accuratè monet: insigni quidem nostrâ gratiâ, qui sapius optavimus, ut legere tandem liceret dissertationem Politicam de Latinâ Lingvâ. Nam nequis absurdum putet, ad Politicam trahi Latinitatem, certum est, cum agitur de mediis conservandi Remp. non omitti posse curam & educationem juventutis, quæ sive bona sit sive mala, non dissimilem Civitatis portendit statum, ut omnia consilia vel prudentissimè con-

cepta ruere semper videantur in deterius; si homines minus probatos ipsa Resp. contineat. Iam negari vix potest, ita passim doceri latinas literas, ut vel obtundi, vel impediri, vel à melioribus studiis avocari nonnunquam ingenia videantur; ac adeo prudentiæ non contemnendum esse munus, ad istam progredi quæstionem: *quantum intersit reip. juvenes manuduci ad Latinitatem.* Et vero si nostræ curiositati nondum satisfecit præsens Auctor, dabimus operam ipsi, ut profundum hoc prudentiæ politicæ specimen vel præstare vel tentare cæterisq; commendare liceat. Sed ut redeamus ad præsentia, quod Historiam attinet, graviter monetur, ne quis ad confusionem, ne quis ad inutilia propendat, ne nullis Chronologiæ, Geographiæ, Genealogiæ fundamentis subnixus ad diffusam hanc operam properare sustineat. Id etiam additur *aliter in historiis procedere debere Privatam, aliter hominem ministeriis publicis adhibendum, aliter Principes ipsos.* In Eloquentiâ describendâ fluctuare nonnihil videtur. Jam enim *Artem persuadendi* vocat *cum effectu* h. e. ut *Advocatus vincat causam, Prædicator convertat peccatores, Minister regnet in consiliis:* quod est confundere finem internum cum externo: jam *Talentum natura & experientia præfert talento studiorum?* quod est ignorare causas & limites disciplinarum: jam *eloquentia officium statuit verba formare ad veritatem, nullis scrvire affectibus:* quod ab eo forte alienum esse debet, qui nimium audet provocare ad exempla Demosthenis & Ciceronis. Neq; tamen hoc displicet, ad Oratoriam plurimum conferre EXEMPLA, tum antiquorum, tum præstantissimorum hujus temporis ministrorum, qui in relationibus & epistolis suis optimam testati fuissent eloquentiam, & EXERCITIA quæ perficiant hominem, ut loquatur *ex tempore, sine hesitatione, sine verborum aut formularum tediousâ correctione.* Quin etiam id subjicit, in hoc errasse multos, quod facundiâ exercere maluerint linguâ minus nota, quàm in vernacula. Subjungit GEOMETRIAM, quâ utilissimis hujus mundi studiis annumerat, sive spectemus subsidia, quæ cæteris artibus inde præstantur, sive culturam ingenii, quàm in definiendo, dividendo & demonstrando sperare liceat. Plura proferre non est opus. Nam illustriorem enarrandi occasionem nostris relinquendam oratoribus duximus, quos ut benevolè, hoc est, more superioribus annis introducto libeat audire, per benignitatem superioribus annis probatam rogamus. Faxit DEUS ut Annus hic AMORI consecratus, dum ingressum dedit Nobiliss. STOLLIO amabilem, progressum Inclyto GIRLSIO fortunatum, egressum portendit amoribus HARTIGIANIS signandum, non nisi dulces & amabiles annos provocet impofterum: nostræq;

ZITTA VIÆ Symbolum esse nunquam desinat AMOR.

PP. d. 13. Septembr. M DC LXXXVIII.

